

pp:



34.

I. N. D. N. F. C.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

JUDICIO PE-
RITORVM,

QUAM

DIVINA FAVENTE GRATIA,
DECRETO ET AUCTORITATE

MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET
AMPLISSIMI COLLEGII JURIDICI,

In Celeberrima Argentoratensium Universitate,

Pro

Summis in utroque Jure Honoribus & Privi-
legiis ritè ac legitimè obtinendis,
placido Jurisperitorum judicio

submittit

JOHANNES MARTINVS *Sinckl*
Noribergensis.

d. 1. mens. Octobris H. L. Q. consuetis

Anno Christi M. DC. LXXIII.

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.



S. R. I.

ILLVSTRIS ET LIBERÆ
REIPVBL. NORIBERGENSIS
MODERATORIBVS,
*VIRIS MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
MAXIME STRENVIS ATq; PRUDENTISSIMIS*

DNN.

DVVMVIRIS,
TRIVMVIRIS,
SEPTENVIRIS,
CONSVLIBVS ET SCABINIS
CÆTERISQ; SENATORIBVS,
PATRIÆ PATRIBVS
BENIGNISSIMIS,

DOMINIS, MÆCENATIBVS, ET PRO-
MOTORIBVS SUIS GRATIOSISSIMIS,
THESES HAS INAVGVRALES

In debiti obsequii & fidelitatis
argumentum

D. D. D.

Subjectissimus civis & cliens
AUCTOR.



BONO CUM DEO!

THESIS I.

EA plerarumque scientiarum conditio est, ut pulcra serie sibi invicem nectantur, & dum altera alterius opem requirit, in stabilienda & eruenda veritate mirificè conspirent. Dialecticus se refert ad Grammaticum in significatione verborum, Rhetoricus mutuò accipit à Dialectico loca argumentorum, Poëta à Musico mensuras, Geometra ab Arithmetico proportiones, Metaphysicus fundamenti loco præsupponit placita Physicæ. *Michel de Montaigne aux Essais livre 2. c. 12.* Idem fatum Jurisprudencia cum cæteris commune habet, quæ & ipsa ad aliarum disciplinarum subsidium recurrit, ne differenti & incognitæ facti contingentia incongruum jus applicet, & improvidè à vero justitiæ tramite aberret.

⊙. II.

Singularum autem artium naturam & tradita optimè nobis communicabunt earum periti: Benè namque agitur cum artibus si soli artifices de illis judicant, & judicantibus creditur; cum suæ quisque artis optimus & auctor sit & disputator, teste Valerio *l. 8. c. 13.* cui respondet illud Philosophi *l. 1. Eth. c. 1.* ἕκαστος κρίνει καλῶς ἀ γινώσκων, καὶ ἴστων ἐστὶν ἀγα-

A

ἀγα-

ἀγαθὸς κριτής. Probè id intellexerunt prudentissimi Legumlatores, qui passim constitutiones suas peritorum judicio firmant, & in emergente facti specie judicem ad eorum consilium remittunt.

⊙ III.

Judicii vocabulum, quod πολύσημον Marantæ *de ord. Jud. p. 1. p. m. 15.* add. Speckhan. *cent. 3. cl. 3. quest. 1. f. 711.* ut omnibus enumeratis conveniat, hic in genere accipimus pro discretionem mentis, quam examinandis & decidendis rebus non ita obviis adhibemus Menoch. *de Arbitr. jud. quest. 2. f. 14.* quanquam & specialiores significationes distinctis casibus admittat, ut ex *θ. 45. & 46.* colligere possumus. Periti, quos Galli eleganter *les gens du metier*, vel *qui ont vielly dans le metier* dicunt, quique sæpius in jure appellatione bonorum virorum veniunt, sunt personæ ad definiendam rem aliquam perplexam & dubiam incertamque aut naturæ beneficio, aut artificii commendatione, aut etiam negotiationis longo usu experimentoque capaces & idoneæ. *Revard. de divers. reg. Jur. ad l. 22. §. 2 generaliter.*

⊙ IV.

Hinc eorum judicium describimus, quod sit sententia in arte præ aliis excellentium, qua rem dubiam atque incertam secundum artis suæ principia & naturam verè vel probabiliter definiunt, & de facti specie peritè deponunt.

⊙ V.

Imperandi potestas cum etiam in cultu numinis externo, rite ad divinum institutum obeundo & mode-

moderando versetur. *Lampad. de rep. Germ. part. 1. §. 15. & seq. Reinking. de regim. secular. Ecclesiast. l. 3. class. 1. c. 10. p. m. 340. Casaubon. præf. ad exerc. Baron. ejus causas vel per quasdam sui ordinis personas, vel per certos consiliarios cum peritis Ecclesiasticis in consistoriis suis licitè dirimit Reinking. l. c.* Olim in Theocratia etiam in civilium causarum cognitione Levitæ occupabantur, quia Legis divinæ studio à teneris imbuti, ejus insigni peritia censebantur. *Apollon. de jur. majest. circa sacra.* Hodiè ut Theologorum auctoritatem in materiis originem trahentibus à jure divino, ut est materia usurarum, matrimonii, juramenti &c. meritò veneramur, ita si qui super his materiis occurrunt non expressè decisi intricatiores casus, eos ex Canonicis constitutionibus & decretis Sanctorum Patrum convenienter sopimus & decidimus vid. *Everhard. à Middelb. Loc. Leg. 95. p. 943. & seq.*

⦿ VI.

Secularia autem negotia in secularibus judiciis cognoscuntur, quibus aut Jurisperiti præsidere, aut minimum peritiori rem delegare, vel peritiores in consilium adhibere debent. *vid. Schvvanm. diff. camer. 17. n. 5. p. 94. & seq.* ubi subnectit, quod in Camera Imperiali inter alia requiratur, ut judex sit legum & consuetudinum Germaniæ peritus. *Ord. cam. p. 1. t. 3.* item in Assessoribus requiratur, ut sint docti, periti, industrii, prudentes, consuetudinum imperii & referendarum causarum gnari. *Ord. cam. p. 1. t. 3. §. 1. vers. dergleichen sollen.*

A 2

⦿ VII. Ma-

○ VII.

Maximè autem in juris controversia illustribus
 Jctorum collegiis credimus. *Struck. conf. II. n. 26.*
 & *n. 104.* etsi partibus non reclamantibus, facta a-
 ctorum inrotulatione, acta ad facultatem aliquam
 vel collegium Juridicum à judice transmittuntur,
 judex meritò sententiæ illius facultatis dictante stylo
 acquiescit. Sic de Jure Saxonico necessarium est,
 præprimis in judiciis inferioribus, quibus rarò Jcti
 assident, ut acta ad collegium Juridicum mittantur.
Carpzov. process. Jud. tit. 16. n. 21. seqq. Et in judicio
 revisorio, quando ob summam non appellabilem,
 acta de jure constitutionum Imperii ad facultatem
 aliquam vel collegium Jurisperitorum mittuntur,
 prout id exigit Recess. Deput. Imp. Spiræ de an. 1600. §.
 Es sollen aber den Unterthanen & Rec. Imp. de an. 1654.
 §. doch mit diesem Zusatz. Magnif. DN. Textor Præ-
 ceptor meus colendissimus in *disput. de auct. Inter-
 pret. Jur. §. 11.* Similiter in causis criminalibus judices
 prudentes consulere tenentur, qui, quæ cuique fa-
 cto appositè respondeat pœna ex jure ejusve arte,
 pro sua peritia statuent *l. custodias. 12. ff. de publ. jud.*
Constit. crim. Carol. V. Artic. 147. 148. & fin. Uni-
 cus autem Jurisconsultus pro facultate consilium
 præbere potest. *Brun. c. ad ff. f. 125.*

○ IIX.

Aliàs de singulorum Jctorum non collegiali-
 ter consideratorum auctoritate secundum diversa
 tempora aliter atque aliter judicandum. Tempore
 mediæ Jurisprudentiæ Jurisperiti ex LL. XII. Tabb. vel
 ex edictis Magistratum jus civile interpretati sunt,
 proba-

probatae civium judiciis creditaeque sententiae, vel moribus comprobatae de consuetudine in posteros miserunt legem. *Zaf. ad l. 6. & 7. ff. de J. & J. n. 30, 31. Rævard. de auct. prud. c. 14. conjectan. l. 2. c. 10.* Postquam autem ipsis de jure respondendi potestas ab Augusto primum indulta, Prudentum responsa partem juris scripti constituerunt, quam differentiam probe attendendam monet Jctus solidissimus Magn. Dn. Strauchius, Praeceptor meus devotè colendus *dissert. ad jus Justin. 1. p. 7.* & tali modo si allegatur auctoritas cujusdam Jcti, cui potestas legis condendae concessa, argumentum ab auctoritate est probabile & necessarium *Everhard. à Middelb. Loc. 95. n. 2. p. 940.*

⊙ IX.

Hodiè cum plerumque Jcti eâ auctoritate destituantur, eorum sententiae tantum sunt probabiles, ita tamen, ut si nec textus expressus, nec urgens juris ratio obstet, non immeritò sequamur probabiliores Dd. opiniones. Et auctoritas juncta rationi praevalet alii rationi, quia duplex vinculum fortius. *Zaf. ad l. jus singulare. 16. ff. de ll. n. 2.* propter rationes autem magis praegnantibus licitum est recedere ab opinione alicujus Doctoris quantumcunq; famati, & periti. *Everhard. Loc. 95. n. 3. p. 491. n. 11. p. 946.* Sic de consuetudine deponenti Jcto tunc credimus, si consuetudinem illam conformem juri communi dicat, nec enim melior esse potest consuetudo, quam quae est conformis juri communi, secundum *Marrant. p. 3. n. 130. p. 73. ibique cit.* & Jcto de jure deponenti creditur tanquam perito in arte. *Cævall. opin. commun. contra comm. tom. 1. q. 1. n. 24. f. 14.* Si difformem asserat, tunc consuetudo est facti. *per cap. lic. 1. de constit. in 6.*

& merito probatio incumbet allegati Jcto. l. ab ea par-
tes. ff. de prob. DN. Textor l. c. d. 47. Zas. ad l. de quibus 32.
ff. de ll. n. 48. Ille autem qui egregii Dd. consiliū secu-
tus litem movit, instructus censetur quantū satis est,
nec temeritatis notam subit. Bart. in l. bonorum. 1.
de bon. possess. Abbas in cap. calumniam 4. X. de pœnis Ar-
gent. t. 1. consil. 86. n. 50. Harprecht. ad §. responsa pru-
dent. 8. I. de jur. nat. gent. & civ. n. 11. & dictum ali-
cujus periti & probi viri, (ita declarat Grat. t. 2. c. 233.
n. 54.) qui non est suspectus, justam credulitatem in-
ducit, & eidem credens excusatur. cons. Argent. tom.
2. cons. 71. n. 49. ibiq; allegati.

⊙. X.

Quod si res aspectu probatur & sensu percipi-
tur, sensatorum artificum experientia stamus, vel illis
rem oculis subjiciendam committimus. vid. Tusch.
lit. P. concl. 286. n. 28. Ita Hippocratis auctoritatem in le-
gitimi partus tempore sequitur. l. septimo 12. ff. de stat.
hom. l. intestato 3. §. 12. de suis & legit. & regulariter ex
mente Medicorum partum quocunq; die mense se-
ptimo & sub initium undecimi natum pro legitimo
agnoscimus Strauch. dissert. ad jus Justin. 1. p. 13. Har-
prech. ad pr. I. de hered. qua ab intest. defer. n. 61. & seq.
Myns. cent. 6. obs. 40. & latè Cujac. ad l. 4. sent. Pauli
tit. 9. §. septimo mense. Nonnunquam etiam partus,
à muliere non impudicè vivente, post ordinarium
tempus editos admittimus, & ita judicatum refert
Sand. dec. Fris. l. 4. t. 8. dec. 10. p. 73. idque pluribus au-
toritatibus confirmat Salmuth. not. ad Panc. l. 2. t. 10.
à p. 194. usq; ad p. 211.

⊙. XI.

Sic quia ex Medicorum sententia partus post
40. dies

40. dies censetur animatus, hunc abigens vel percutiens pœna legis Corneliæ tenetur *Sichard. ad l. uxoris abortu 2. C. de posth. hered. inst. f. 879.* quod si partus sit infra 40. dies, illum percutiens non debet puniri pœna ordinaria, & dicit *Abbas in cap. sicut ex 20. X de homi.* quod ante infusionē animæ non possit quis dici homicida, in dando causam abortioni, quia quod non vixit, mori non potest. *cap. ad dissolvend. 13. X de spons. impub. Blanc. pr. crim. p. 78. n. 26.* Ita Medicorum denunciatione probatur quis ægrotus vel valetudinarius *l. semel 6. C. de re milit.* ubi de causaria missione judicat Imperator, adhibitis tamen medicis, qui causam missionis id est valetudinis indicant. *Sichard. ad l. comparationis 19. C. de fid. instr. Brun. ad cit. l. 6. C. de re milit.* Limitat hoc *Grat. discept. forens. t. 2. cap. 235. n. 69.* Item in causa veneni statueritis in arte & si Medici testentur nullum signum venenationis apparere in mortuo, eorum depositio multum alii prævalet *Tusch. l. P. concl. 286. n. 17.*

⊙. XII.

Medici in dijudicando vulnere nomine venit & Chirurgus *Greven. ad Gail. l. 2. concl. 111.* cujus aspectu vulneris qualitas utrum lethale sit vel non dijudicatur. *cap. significasti 18. vers. & quidem si hoc X. de homic. Gail. l. 2. obs. 111. Harprech. ad §. 13. & 2. seqq. I. ad l. Aquil. n. 18.* Vulnus autem lethiferum dicitur cujus vel omninò impossibilis, vel difficillima est ex regulis medicinalibus curatio, & convenit omninò inter Medicos & Jctos & illud mortiferum dici vulnus, quod non semper mortem affert, siquidem Medicis etiam lethale quod semper tale non est dicitur.

tur. *Greven. ad Gail. l. c.* quod si autem vulneratus absque longo intervallo decedit, præsumitur vulnus lethale. Nam quærere rationem, ubi habemus sensum, esset debilitas intellectus, ut post Aristotel. dicit *Baldus in rubr. ff. de rerum divis. Zas. cons. 17. n. 13.* idè ex adverso probari debet, quod mors secuta sit ex adjuncta culpa vulnerati, ut quia non adhibuit medicum, vel nimis tardè, imperitum, aut ei non obedi- vit &c. *Everhard. de Middelh. Loc. 21. n. 3. p. 256.*

⊙ XIII.

Cum his sæpius concurrunt matronæ, quarum aspectu probatur quam esse vel non esse virginem, *extravagant. c. fratern. de frigid. & malef. cap. causam matrimonii 14. X. de probat.* quod an licitè fiat disquirat *Ponce. de matrim. l. 7. c. 63. fol. 380.* quanquam id non impudicum, aut castitati repugnans haberi queat, quod indagandæ veritatis causa suscipitur, uti *παραφραση. Rem. ad ordin. crim. art. 35.* & aliquam prægnantem esse probatur ex aspectu obstetricum *l. 1. §. 1. ff. de ventr. inspici.* quæ in his & similibus veniunt numero peritorum, & Medicorum, & sunt ejusdem pretii & auctoritatis. *Grat. disc. for. tom. 2. c. 235. n. 65.*

⊙ XIV.

Porrò & Philosophorum auctoritates in sua causa attenduntur, & Julianus Jctus pro sua opinio- ne adstruenda nominatim allegat Aristotelem *l. si pater meus 36. ff. de solut.* & Callistratus Platonem *l. si quis 2. ff. de nundin.* In his enim quæ pertinent ad naturales causas, recurrendum ad eos, ut dicit *Bartolus in l. div. 4. ff. de extraord. crimin. & aspectu agrimen- foris probatio fit de finibus l. si quis 3. Cod. fin. reg. cap.*
quia

quia judicante. 9. ext. de præscript. & peritis stamus in materia ædificiorum Nov. 7. c. 3. §. 2. vers. quod autem. Baldus cons. 233. ad med. l. 1. Grat. disc. for. t. 3. cap. 572. f. 533. n. 48. & seq. t. 4. c. 752. n. 49. f. 421. Ita olim in ædibus emendis architecti adhibebantur, ut patet ex illo Suetonii in Othone: deinde liberto adesse architectos nunciante, quasi venalem domum inspecturus abscessit, item domuum mensores de quib. vid. Briffonium in form. l. 6. p. m. 518.

⊙. XV.

Denique & Philologorum & Poëtarum auctoritas ad confirmationem dicendorum congruè allegatur, §. mortis causa. 1. J. de donat. §. item pretium. 2. J. de emt. & vendit. l. 1. §. 1. ff. de contrah. emt. §. quod autem. 1. J. ad l. Aquil. l. qui venenum. 236. ff. de V. S. eaq; valida est, quando vel est approbata per legem vel canonem, vel saltem non habet legem in contrarium; Si enim lex sit in contrarium tunc non est standum tali auctoritati vel scripturæ, quia major est auctoritas legis, ut patet ex l. in tantum. 6. §. f. & seq. ff. de R. D. Everh. à Middel. L. 95. p. 946. Nulla enim ars vel disciplina adeo exigua in humano deprehenditur usu, quæ non ut ab aliis diversa tractat subjecta, vel circa eadem versatur diverso considerandi modo, suas quoque habeat proprias phrasas, formulas loquendi, artificiales rerum notas, terminos technologicos, vocabulorumque significationes à ceteris disciplinis ac communi usu discrepantes, Gôden. de V. S. ad rubr. num. 14. p. 10. Ut exemplo commo- do utar, aliud Jctis vir bonus, aliud Philosophis & Poëtis. Jurisconsultis quidem (ut supr. §. 3. innui) est vir ejus rei, cujus arbitrium suscipit admodum

B

peri-

peritus; reliqui virum bonum dicunt eum, qui extra omnem labis & malitiæ suspicionem positus, prodest quibus potest, nocet nemini, *Revard. de divers. reg. Jur. ad l. 22. §. generaliter. 2.* Ita participia nobis absolvuntur à tempore contra Grammaticos, *Zaf. lect. ad t. de re jud. f. m. 19.* & à particulari arguimus ad universale ex similitudine rationis, & accidēs est accidentis in usurarum usuris, contra Logicos, *Zaf. l. c. f. 133. & f. 148.* & Poëtas sæpiùs redarguimus, quippe qui dum metro serviunt, de verborum proprietate liberius nonnunquam disponunt. *Glossa ad §. item pretium 2. J. de Emt. & vend. & Harprecht. ad eund. pag. 603. l. e. 7. ff. de R. D.*

⊙. XVI.

A quietis Musarum stationibus in militum castra secedimus, non ut transfugæ, sed ut peritorum curiosi exploratores. Habent autem hi forum privilegiatum, & conveniuntur coram Magistro militum, *l. magisteria. 6. Cod. de Jurisd.* quid enim obstaculi est (inquit, *Imp. l. certi juris. 17. C. de jud.*) homines, qui alicujus rei peritiam habent, de ea re judicare? cum sciamus & militares magistratus, per usum quotidianum jam esse approbatos, ut & audiant lites, easque dirimant, & pro sui & legis scientia hujusmodi altercationibus finem imponant. Inde colligunt Dd. nullis etiam literis imbutos in iudices admitti posse, si rerum & consuetudinum sunt periti, *l. expertes literarum. 6. Cod. de decur. Menochius. cons. 110. n. 244. & n. 256. Klock. vol. 3. cons. 101. n. 256.*

⊙. XVII.

Subducto hinc pede transeo ad Mercatores, quibus in plurimis locis speciales extra ordinem iudices

dices ex ipsorum plerumque collegio constituuntur, qui negotiationis periti, lites, quæ ex mercium comparatione nascuntur, ipsasque negotiatorum discordias facile nullaque molestia dirimunt. Hi magno commercii incremento secundum experientiam, mercatorum controversias, sine tædiosa mora summarie, de plano, bona fide non inspectis juris apicibus componunt, & forensium dilationum ignari absque pragmaticis controversias nullis sumptibus promptoque & facili iudicio definiunt. Et in hoc curia mercatorum æquiparatur curiæ Ecclesiasticæ, apud *Marant. de ord. jud. p. 4. judic. 9. distinct. num. 48. p. 199. Gail. l. 2. obs. 27. n. 27. decis. Genuens 195. n. 12.* Vid. omninò *Stracha quomod. in caus. merc. proced. f. m. 517. & seqq.*

⊙. XIIX.

Idque non sine urgeratione receptum, quoniam videmus Juris auctores cambii materiam passim difficillimam appellare. *Romuald. Lucens. de camb. in epist. ad Lect. Scaccia tract. de camb. q. 5. num. 17. 41. 42. 72. & 88. ac §. 6. glossa prima sub n. 2. & seq. & elegantius quest. 2. n. 16.* eosque factò ob tot mercatorum in cambiis inventiones ignorato, ignorare sæpiùs responsiones, adeò ut Navarra vir in hoc genere peritissimus, *cons. 31. de Usur. l. 5.* ingenuè fateatur se cambiorum praxin à mercatoribus didicisse, vid. plura ap. *Joan. Dom. Gait. de cred. c. 2. t. 7. n. 1168. & c.* Hinc optimò laudatissimæ Reipubl. patriæ instituto, causæ mercantiles duobus Senatoribus, totidemque Consiliariis, adjunctis peritis Mercatoribus dirimendæ conceduntur, à quorum deciso appellatio ad Camerã privilegio Cæsareo prohibetur. Ex-

hibet illud *Limnaeus Jur. Publ. tom. 3. lib. 7. cap. 35. num. 23.*

⊙ XIX.

Quod si in horum causas aliæ controversiæ incidant, ex rursus peritioribus dijudicandæ committuntur. Ita in omni debito ex contractu, deterioratâ pecuniâ, sive mutata bonitate intrinseca, si periti defectum ligæ vel ponderis indicant, debitor tenetur solvere æstimationem prioris monetæ, ut fiat solutio de currenti moneta ad æstimationem antiquæ. *Tusch. l. M. concl. 349. num. 13. & 53.* ubi plurimas vid. limit. *Aleman. Palest. consult. quæst. 14. consult. 8. Pacian. consil. 103. n. 79. & seq.*

⊙ XX.

Pari ratione si rationes intricatæ, illiquidæ & controversæ deducuntur in iudicium, ante omnia semper est deveniendum ad calculum & electionem calculorum, *l. si cui libertas. 50. & ibi Bart. ff. de condit. & demonstr. & in omni quæstione super computis datis & acceptis mercantiliter remittendæ sunt partes ad calculatores & peritos in arte, quorum assidua professio est prædictis vacare, Tusch. l. C. concl. 4. num. 5.* sicut tutor rationes reddit coram artis Arithmeticæ peritis, *Georg. Nucl. ff. & Cod. ad ff. lib. 27. disp. 4. θ. 2.* Etiam si agatur de calculo instantiæ vel alterius negotii quod requirit calculationem, *Tusch. l. c. n. 4.* Ita arbitrio boni viri reddenda est calculatio administrationis. *Bald. in l. voluntatis. 7. C. de fidei c.*

⊙ XXI.

Ad exemplum mercatorum etiam artifices alicujus collegii de jure approbati sibi ex suo corpore iudices eligere possunt, qui judicent causas ad eorum

rum

rum artem vel professionem pertinentes. Alexander Severus Imper. corpora omnium constituit vi-
nariorum, lupinariorum, caligariorum & omni-
um omnino artium, hisque ex sese defensores dedit,
& jussit quid ad quos judices pertineret, teste *Lam-
prid. in ejus vit.* Sic & Lucianus mentionem facit
eorum qui nauticis controversiis judicandis præsi-
debant, quos *ναυτοδίκας*, vocat in dialogo *ἑταιρικοῖς*.
Eâdem ratione ex Hieronis Syracusarum Regis sta-
tuto, τῶν κατὰ ναῦν ἀδικημάτων δικαστήριον καθεστήκει
ναύκληρⓄ, κυβερνήτης, καὶ πλωρεὺς, οἵπερ ἐδικάζον κατὰ
τὰς Συρακυσίων νόμους. *Athen. l. 5. c. 7.* in his enim quæ
legibus cauta non sunt, & ubi consuetudo nautica
non viget, & sic jus scriptum & non scriptum ces-
sat, benè est in nauticis negotiis ad peritos & valen-
tes nautas confugere, inquit, *Straccha de navigat. n.*
25. f. 471.

Ⓞ. XXII.

Citati igitur artifices ad artificii præfectum il-
lius Jurisdictionem declinare nequeunt, si ordina-
riæ non præjudicet, *l. per iniquum 7. C. de Jurisdic. i-*
bi que Sichard. fol. 158. & seq. Rönig in proc. f. 49. Gra-
tian. disc. for. t. 2. cap. 224. num. 14. Judices autem illi
rei judicandæ usum & experientiam habere debent,
l. certi juris. 17. Cod. de judic. Schvvanm. diff. Cam. 17.
num. 5. Tunc ad instar mercatorum possunt inter se
facere statuta valida, inter ipsos servanda, sine ul-
la Senatus confirmatione, *l. receptitia. 2. §. f. C. de con-*
stit. pec. ibiq. Gloss.

Ⓞ. XXIII.

Omnes denique artifices opificesque circa spe-
ctantia ad eorum artem, & in quibus præsumuntur
B 3 periti,

periti, validè deponunt. Ita literarum comparatio peritis scriptoribus committitur, *Gait. de cred. cap. 2. tit. 7. num. 2773. num. 2829. & seqq.* & iudicio mariscalcorum statur an animalia sint morbosa vel non, morbo intrinseco & non apparenti, *Tusch. l. P. conc. 286. num. 18. Joh. Ant. Trigon. sing. 110. f. 106.* & in fractura ostii an sint adhibita instrumenta ab extra vel non, statur peritis in arte. *Tusch. l. c. num. 53.* Si dubitetur de alluvione facta, per rusticos res erit definienda, *arg. Nov. 7. c. 3. §. 2. vers. quod autem. Glossa in §. præterea. 20. in voc. longiore J. de R. D.* & in rebus domesticis diligens paterfamilias arbitrabitur, an legibus conformis diligentia negotio vel contractui sit adhibita.

⊙. XXIV.

Per hos peragenda est æstimatio ususfructus, *arg. l. hac edictali. 6. §. 1. vers. mobilium. Cod. de secundis nuptiis læsionis; Gratian. tom. 2. c. 228. in f. & tom. 3. c. 600. num. 21.* dicit, quod iudex idè eos adsumat, ut possit rectè cognosci, an adsit læsio, & licet æstimatio communis attendatur, tamen inter alios modos probandi, qualis illa sit, est iste, per peritos, cum nullus scire possit melius valorem rei juxta communem æstimationem, quam peritus, *vid. Cagn. in l. 2. n. 236. usque ad num. 265. cum seq. C. de resc. vendit. melioramentorum. Tusch. L. M. concl. 183.* Et in omnibus omninò casibus, in quibus magis iudicio, quàm testimonio opus est, iudex debet constituere æstimatores ad faciendam æstimationem, & ad proferendum illud iudicium, *l. 1. ff. de ventr. inspici.* Item quando rerum æstimatio magis in intellectu quàm visu consistit, debent periti in arte deputari, ut justo valo-

valore rem æstiment, *Nov. 7. c. 3. §. 2. vers. quod autem dictum l. semel. 6. Cod. de re milit. l. 1. ff. de ventr. insp. Bart. ibid. num. 4. & in proæm. ff. n. 8. Bald. ibid. n. 6. Bart. in l. creditores. 3. num. 29. Cod. de pign. & hypoth. Gratian. tom. 3. c. 489. n. 27. f. 220. c. 546. num. 10. f. 411.* Ettandem in genere, si aliquid pendente iudicio contingat, in quo iudex non sit satis informatus, id prius per artis peritos expediendum erit. *Vid. Joh. Baptist. de Arbitr. l. 3. cap. 19. & l. 5. c. 9.*

⊙ XXV.

Dictos verò peritos adhibent ii, qui officium habent & auctoritatem eos eligendi, & deputantur vel à lege, sive à iudice, vel à partibus. *Bartol. l. instar. 2. Cod. de jur. fisc. n. 5. l. 1. §. ex hoc rescripto. 1. n. 5. ff. de ventr. insp. Dec. in cap. proposuisti. 4. n. 15. de prob. l. hac edict. 6. §. his illud. 1. C. de secundis. nupt. Ceph. cons. 36. n. 2. l. 1. à partibus eliguntur communi consensu, cognoscente, l. si irruptione 8. §. 1. ff. fin. reg. c. cum super. 2. extr. de testib. cogend. annuente & consentiente iudice, cujus officium ad hoc implorant, *Joh. Bapt. d. l. 3. c. 19. & lib. 5. c. 9. Carpz. J. F. p. 3. constit. 11. def. 30. in fin. & si partes circa electionem concordent, eis iudex acquiescit, per l. in hac edict. 6. §. his illud. 1. vers. mobiliu. C. de secund. nupt. ibi: quos utraq; pars elegerit.* Ita tamen ut electio peritorum facta inter cessionarium & tertium non noceat cedenti, *Grat. t. 2. disc. for. c. 228. n. 2. f. 108.**

⊙ XXVI.

Quod si partes in eligendo discordent iudex ipse eos eliget, *l. si quis. 3. in f. C. fin. reg. l. in vendit. 8. §. fin. ff. de bon. auct. jud. poss. Gail. Observ. III. num. 2. Mynsing. cent. 6. obs. 34. num. 2. & 3. idque conforme*
con-

consuetudini dicit *Grat. disc. for. t. 2. c. 229. num. 21. &c.* similiter eos eligit, quando procedit per inquisitionem, ut habetur, in *l. ex lege 2. §. f. ff. ad l. Jul. de adult.* nam tunc partes non habent se intromittere, sed iudex eos ex officio eliget, & omnia pertractabit, & ita intelligimus, id quod dicit, *Abbas & Dec. cap. proposuisti. 4. extra de probat. Blanc. pr. crim. pag. 132. in fin.*

⊙. XXVII.

Adhæc iudex idiota potest eligere aliquem Jurisperitum, quando vult ferre sententiam ex ejus consilio, & tunc debet transmittere processum jurisperito unâ cum literis relationis, in quibus indifferenter & verè narrat casum, super quo ipsum consulit, & hæc dicitur relatio, quia iudex se refert ad consiliû jurisperiti, & tenetur in narratione casus referre totam causam pro utraque parte, alias pars quæ læditur, potest appellare ab illa formatione puncti; & potest utraque pars requirere iudicem, ut ante transmissionem processus vel formationem casus det copiam literarum, quas mittit jurisperito ad videndum. Iudex autem nō tenetur dare copiam nominis jurisperiti, quando secretò mittit ad illum, allegatis aliis suspectis; ad hoc ne possit subornari vel trahi ad votum alterius partis: sed quando publicè mittitur, puta de voluntate partium, tunc debet edi etiam nomen. *Marant de ord. jud. p. 6. de appellat. p. 553. & seq. n. 8. 9. vid. Brun. ad L. f. C. de relat. f. 669.*

⊙. XXIIIX.

Iudex autem & partes eligentes in peritorum electione vigilantē oculum ad vitæ morumq; integritatem intendant, nam doctrina profundior & vitæ
sincer-

sinceritas veram Jurisperitis auctoritatem gignunt
 iudice, *Corat. tract. de comm. opin. l. i. t. s. num. 1.* & ta-
 lis honestas & integritas vitæ magis requiritur in illis
 peritis matronis, quæ deponunt de virginitate pu-
 ellæ, quasi subsit in hoc specialis ratio indecentiæ,
 quod mulier, quæ se adserit virginem inspiciatur per
 mulieres inhonestas licet peritas, *Felin. in cap. cau-
 sam matr. 14. inf. num. 5. de probat.* Cum in aliis testi-
 bus qui deponunt super peritia ista qualitas honesta-
 tis non videatur ita necessaria, dummodo non
 sint adeò flagitiosi ut repellantur. Sic enim judicare
 possumus de peritia, eam à quocunque haberi posse,
 idque dicit *Dec. in dict. cap. causam matrimon. 14 in pr.
 in 2. not. vers. sed advertendum est. n. 1. de probat. per
 text. quoslibet peritos. de heret. in sexto.* quicquid a-
 liud sit in dignitate & peritia doctoratus, à qua etiam
 ob malos mores quis repellitur, *l. magistros. 7. C. de
 profess. & medic. arg. l. neque 2. Cod. de dign.* Et dicun-
 tur periti, qui in arte sua se benè gerunt. *Bart. in l. u-
 nic. Cod. de athl. Felin. in cap. proposuisti. 4. col. 4. in pr.
 n. 8. vers. & scias. ext. de probat. Grat. disc. for. tom. 2. c.
 233. n. 50. & seqq.*

⊙. XXIX.

Postea doctrinæ experientiæque accuratam ra-
 tionem habeat. Longa enim est differentia inter
 artifices & ingenii, & naturæ, & doctrinæ, & institu-
 tionis, *l. inter artifices. 31. ff. de solut.* & multi sunt
 thyrfigeri, pauci Bacchi, quodque de Medicis pro-
 nunciavit Hippocrates: οἱ ἰητροὶ φήμη μὲν πολλοὶ ἔργω
 δὲ πὰρχυ βαιοί; aut de Philosophis Plato: multi
 somniant, pauci philosophantur; similia de non-
 nullis Juris Dd. magis τιμὴν ὀνόματ'⊙, quàm φύσιν
 C πρᾶγ-

πραγματ ⌘ habentibus censet, *Grat. tom. 1. c. 186. n. 29. & seqq.* quem declara ex *Zasio ad l. 2. §. f. vers. & ut obiter sciamus. de O. J.* Ideò potissimum prævio examine per auctoritatem publicam approbatos adhibeant, *l. nemini. 11. §. 1. C. de Advoc. divers. jud.* vel qui diu reputati sunt idonei per salubres practicas & experientias, vel qui assignant rationes secundum canones medicinæ de suo sensu, *Blanc. pr. crim. num. 75. pag. 130.* Ubicunque autem peritis in arte standum est, debet peritia redigi & exprimi in actis scripta. *Bald. conf. 237. circa medium verb. in casu nostro.*

⌘. XXX.

Sed ut non facilè unico testi credimus, ita nec uni perito, *Mant. sing. 267.* ideò majoris cautelæ gratia duos ad minimum adhibebunt, cum pluralis locutio duorum numero contenta sit, *cap. pluralis. 40. de reg. Jur. in 6to.* nisi lex ampliorem numerum expresse exigat, ut in obstetricibus, *l. 1. §. 1. ff. de ventr. inspici. c. causam matrim. 14. ext. de probat. cap. fraternitatis. 6. extra de frigid. & malef.* nempe si duo commodè adhiberi possint, eorumque sufficiens copia sit, aliàs unus sufficeret secundum *Gail. 2. obs. 111. n. 4. 5. Grat. tom. 2. c. 233. num. 44. & seqq.* præsertim si unus ille sit medicus insignis, à Republ. ob singularem peritiam ad communem civium curam receptus, & ex publico salariū habeat, quia tunc censetur industria certæ personæ electa, & quotidiana peritiæ specimina apud cives manifestam fidem merentur. *Gail. l. c. num. 10.* idem obtinet si partes uno perito contentæ essent, *l. Theopom. 14. ff. de dot. prel. Felin. in cap. proposuisti. 4. n. 7. de probat. Gail. l. c. num. 5.*

Myns.

Myns. c. 6. obs. 34. n. 5. & unus sufficere posset, si periti essent adhibendi ut instructores, secus si adhiberentur testes. Grat. tom. 2. c. 233. n. 56. in extra judicialibus perito homini quamvis uni lubentem fidem præstamus, Nov. 47. cap. 2. can. talia. 1. caus. 8. q. 3. Grat. disc. for. tom. 2. c. 233. n. 30.

©. XXXI.

Hæc tamen ita procedunt si assumendi sunt ad instruendum judicem periti, quorum ars constat indubitatis & certis regulis disciplinæ, in quibus difficulter possunt decipi, quales sunt Arithmetici, Architecti, agrimensores & similes, tunc in arbitrio judicantis erit, an unum vel plures adhibeat, jura enim promiscuè nunc de uno, nunc de pluribus loquuntur, ut *in l. irruptione. 8. §. 1. & f. & in l. si quis. 3. C. fin. reg. cap. quia judicante. 9. extr. de præscript.* Quod si verò assumendi sunt periti, quorum ars non æquè constat certis & indubitatis regulis disciplinæ, sed judicium falli potest, & in re dubia & perplexa magnum versatur præjudicium, plures adhibendi erunt, ut plures obstetrices chirurgos & medicos exigat, *cap. signif. 18. ibi: peritorum judicio Medicorum ext. de homicid.* Ita si ageretur de crimine gravi, ut de vita hominis sive vulnere mortali, semper plures periti essent adhibendi, qui si non reperirentur in loco, recurrendum esset ad vicina; nam in istis arduis negotiis probationes debent esse luce meridiana clariores, maximè si periti deponunt de credulitate, *Socin. reg. 16. perito in arte vers. 3. Panorm. can. suggero. 3. q. 9. dist. 65.* & hoc consuetudini conforme dicit, *Grat. 2. c. 235. n. 57. & seqq.*



⊙. XXXII.

Et ut certior sit de fide, juramenti vinculo periti conscientiam adstringet, ut enim testi injurato non creditur, ita nec perito, qui quandoque instar testis est; *Mant. sing. 267.* præstant autem communiter juramentum credulitatis propter ancipitis perjurii metum, secundum Canonistas in *d. cap. proposuisti. Myns. cent. 6. obs. 34. n. 11.* nisi de tali re deponant, quæ non solum iudicio intellectus, sed etiam sensu corporeo percipi potest, ut mensura agrorum, tunc debent præcisè jurare de veritate, quid enim vetat agrimensorem vel arithmeticum de veritate jurare, cum artis suæ regulas ad unguem callere possit. *Blanc. præct. crim. p. 132. in fin.* de Medicorum autem & obstetricum iudicio aliter judicandum ob *cap. causam matrimonii. 14. de probat. can. nec aliqua. 4. caus. 27. q. 3. Myns. cent. 6. obs. 34. n. 10.*

⊙. XXXIII.

Juramentum autem non necessario est præstandum, si communi partium consensu adsumuntur, cum eorum fides eligendo adprobata sit ab utraque parte, *Fel. d. cap. propos. 4. de probat. Bartol. in l. Lucius. 24. in fin. ff. de fidejuss. Tusch. lit. P. concl. 289. n. 20.* Idem obtinet, si cuiusdam ceu bono viro simplicem facti alicujus declarationem committimus, & res modicam saltem peritiam exigit, quia per artem facile præcipitur juxt. *Bart. in l. de etate. 43. col. pen. ff. de minor. vel iudex motu proprio ad dictum periti alicujus se informari cupit, Myns. c. 6. obs. 34. num. 14.* Item si peritus ad officium publica auctoritate vocatus initio assumptionis juramentum præstitit, non cogitur illud in causis particularibus repetere, *arg. cap. ad*

*ad audient. vers. cum juratus sit officium suum fideliter
exequi ext. de fid. instr. prescript.*

⊙ XXXIV.

Dictum juramentum præstant in præsentia par-
tium, eorumque quorum interest. *Sichard. ad l. hac
ediçtali. 6. §. his illud, Cod. de secund. nupt. num. 10.*
quemadmodum formatio puncti Jurisperito trans-
mittendi (de quo *thes. 27. egimus*) debet fieri in ea-
rum præsentia, *Mar. l. c. p. 6. de appell. n. 8. pag. 454.* Ita
præsentem esse debent, si communi eorum consen-
su periti sint eligendi, & interesse in loco, in quo
fieri debet æstimatio. *Cæsar Barz. d. 22. n. 6.* cum ad of-
ficium æstimatorum pertineat, antequam referant,
audire partes, quæ eos informant, cum malè in-
formati nihil solidi deponere possint. Et judex debet
dare terminum partibus, quando eligit vel eligi ju-
bet peritos, ut sint cum illis tali die & hora, & hæc
omnia sunt ponenda in actis ne processus annulle-
tur, *Grat. tom. 5. c. 875. num. 34.* Idem obtinet in ar-
bitratore extrajudicialiter electo, qui quamvis ipse
non juret, tamen debet partes vocare, requirere, &
ab illis sufficientem informationem petere juxta do-
ctrin. *Bartol. in l. Theopomp. 14. ff. de dot. præleg. n.
9. vers. quandoq. statur ejus declarationi. & in l. qui bo-
na. 13. n. 3. vers. sed ante. ff. de damn. infect.*

⊙ XXXV.

Hos interdum ipse judex comitatur vel officia-
lem, unaque duos ex Assessoribus, actuarium & chi-
rurgos mittit, qui præsentialiter corpus inspiciant,
& omnium vulnerum, ictuum, & quæcunque sym-
ptomata accesserint, quid viderint, animadverterint
consignationem sollicitam instituant. *Ord. crim.*



art. 149. Grat. tom. 2. c. 233. num. 35. quomodo in corporis vivi inspectione procedendum periti peritave decentiùs peragere norint, quàm ego describere sustineam, vid. *Annæus Robert rerum jud. l. 4. c. 10 pag. 780. & seqq.* & in mensurationibus judex nonnunquam ipse cum peritis accedit ad loca contentiosa & ex agrimensoris definitione rem determinat. *l. si irruptione. 8. §. 1. ff. fin. reg. vid. Brisson. de form. l. 5. pag. m. 432. & Tusch. l. M. concl. 203.* & periti ad comparationem adhibiti, diligentissimè singulas literas, seu elementa, dictiones, characteres, figuras & formas scripturarum, earumque tractus, signa, stylum, & his similia inspiciant & considerent: ac absoluta comparatione judici referant, ipsis fuisse visum in judicio rationis, characteres scripturæ ad quam similes esse, quoad ductum & formam scripturæ ex qua *Harprecht ad §. 3. & 4. J. de test. ord. n. 168.* & si adhibeantur ad æstimationem connexi ut est ædificium, *l. rerum. 30. de usur. & usuc.* lapidestabulas, pavimenta, tigna, lateres, trabes, &c. denique omnia apertè extimabunt particulariter & sigillatim, & tunc si statum præcedentem rei melioratæ cognitum habent firmiter etiam de melioramentis deponent, *decis. Rotæ Rom. addit ad tract. Blas. Michalor. l. de fratr. dec. 44. num. 37. 38. dec. 45. n. 57. & seq.* & possunt in his facere appretiationes diversas v. g. si alii bona mobilia, alii stabilia æstiment, & concorditer referant, bona fuisse de quo in instrumento illis est standum, per *l. hac edict. 6. §. his illud. C. de sec. nupt.* & qui vult allegare mutationem valoris rei debet hoc probare, *secundum Cyn. in l. un. C. de rei uxor. act. in 6. quest. quem sequitur, Alex. cons. 133. n. 9.*

Aliud

Aliud est, si faciunt æstimationes contrarias, & planè discordent, tunc enim duobus discordantibus tertius additur, quo concordante ulterior electio neque à iudice, neque à partibus, *vid. Grat. dis. for. t. 2. c. 228. n. 6.* est facienda, *Tusch. lit. P. concl. 286. num. 38.* Si sunt plures statur majori parti in causa discordiæ, *Tusch. concl. & loc. citat.* licet aliàs arbitris discordantibus in summa standum sit, si in minori convenient, *l. 32. §. si plures. de recept. c. 1. de Arbitr. in sexto.* tamen hoc non procedit, si agitur de certo valore pretii probando, & quando sequeretur absurdum, quod esset standum illis, qui de minori summa deponunt, si videlicet res, quæ valet decem daretur pro quinque: tunc enim sententia non valet, nec in minore quantitate ad evitandam inæqualitatem. *Baldus consil. 307. quatuor fuerunt ad men. vers. item ubi sequeretur, l. 1. text. in l. si decem. 52. ff. locat.* vid uberius hæc declarantem *Grat. tom. 2. cap. 228. num. 6. & seqq.* Si arbitri sint pares in quæstione criminali, iudex in dubio quando dubitatur, utrum vulnus sit lethale, vel non, in mitiorem partem inclinare, & extraordinariam pœnam eligere potest, quia ubi de vita hominis agitur probationes dubiæ ad mortem inferendam non sufficiunt, *l. fin. Cod. de probat. Gail. l. 2. obs. 111. num. 10.* melius enim est in dubio nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare, *l. absentem. 5. ff. de pœnis.* & melius est reprehendi de misericordia, quàm de severitate ut vult *Panorm. in c. 2. de R. J. add. Gail. l. c. num. 22.* hic etiam propter peritorum favorem incidenter notandum, quod executio sententiæ differatur, si ad sup-
pli-

plicium ducendus sit, valdè peritus in aliqua civitate, & qui multum utilis, tunc iudex ad requisitionem unius de populo executionem suspendere debet, donec principem vel superiorem consulat, *l. ad bestias. 31. ff. de pœnis. ita Cepol. caut. 2. in pr. Blanc. pract. crim. p. 154. num. 5. Gilhaus. arb. judic. crim. c. 5. ramusc. 3. de except. n. 76. f. 286. Carpzov. pract. crim. 3. 149. 64.*

⊙. XXXVII.

Pendente relatione nihil innovari potest, *Bald. in l. fin. C. de relat. quia relatio est actus suspensivus, sicut appellatio, & si una transmissa est ad consilium Jurisperiti iudex interim non potest ferre sententiam, ante consilium habitum ab eo, l. ex eo & ibi. Bald. & Dd. C. de app. & per Bart. in l. 1. C. de relat. Bald. in cap. intimasti. 68. de appell. & transmissa causa ad collegium Juridicum, iudex in causa nihil decernere debet, Lancellott de Attent. P. 2. Mar. de appell. n. 10. p. 454. Brun. ad l. 1. C. de relat. f. 669. & si iudex procederet pendente relatione posset appellari, vid. cit. auct.*

⊙. XXXIIX.

Facta *αυτοψία* consignantur circumstantiæ, quæ inspectione cadaveris deprehensæ sunt, & ut aliorum peritorum dicta ad Acta registrantur, *Borell. de magist. edict. l. 2. c. 11. num. 39.* ut iudex de veritate cædis atque etiam de instrumentis, quibus vulnera facta, certificetur, ipsa cædes magis justificetur, vel exaggeretur. *l. semel. 6. C. de re milit. l. in sacris 2. C. de prox. sacr. scrip. l. si ex plagis 52. in pr. & l. qui occidit. 30. ff. ad l. Aquiliam.* Ipse insuper iudex debet diligenter examinare peritos, eosque interrogare, & nisi constet

constet de hac diligentia, non valet eorum dictum. *Tusch. l. P. concl. 285. n. 12.* Sic si iudex misit agrimensores, hi de consuetudine Germ. ponunt terminos certos, deinde referunt ad iudicem, qui factum agrimensorum confirmat, ut sic semper sententia sit certissima, aliàs si per sententiam dicat iudex, se terminos quos agrimensores sint posituri confirmaturum, illa sententia ferè est incerta, & ideò minus valida. *Sichard. ad l. si quis 3. C. fin. reg. num. 7. fol. 253.* & quando sententia ferenda est ex consilio Jurisperiti, non tantum legendum est in sententionando consilium, sed in calce etiam exprimendum: Nos talis Iudex &c. sententionamus & pronunciamus, prout in supra scripto consilio continetur. *Mar. de ord. jud. p. 4. judic. 16. distinct. num. 46. pag. 248. & seq.* De jure Saxonico ubi semper in judiciis inferioribus sententia ex Collegio Jctorum petitur, indistinctè modo nomine iudicis expresso (v.g. *Erkennen wir Bürgermeister und Rath/uf eingeholten Rath der Rechtsgelährten &c.*) modò suppresso eo (v.g. *Erkennen wir Decanus, Senior, und andere Doctores des Fürstlichen Sächsischen Schöppenstuhls &c.*) pronunciat. *Georg. Nucl. ff. & C. p. 1. disp. 6. § 46. p. 127. 128.*

⊙. XXXIX.

Quod si peritorum electio de communi partium consensu processit, semper in relatione, ut in publicatione sententiæ requiritur, ut partes citentur & sint præsentis, vel altera tantum absens per contumaciam, *l. de uno quoq. 47. ff. de re jud.* quãdo autem iudex motu proprio misit expertos ad mensurandum agrum vel ad aliquam differentiam videndam per aspectum loci, in relatione dictorum expertorum non

D requi-

requiritur partis citatio nec præsentia. *Marant. spec. aur. de citat. num. 23. p. 358.* Missi autem periti consequuntur suum honorarium sumtibus partium, etiam si unus tantum litigantium in causa sit, cum res debet mensurari. *Sichard. ad l. si quis. 3. C. fin reg. n. 8. p. 253.* nec verisimile est, peritum ad locum ubi fieri debet æstimatio, suis expensis accessisse. *Barzia. dec. 22. num. 41.* & si ab initio salarium sit taxatum, vel non, debetur ei, qui solitus est locare operas suas, *Tusch. lit. P. concl. 285. n. 15.*

©. XL.

Periti igitur in iis (ut dictum θ. 31. & 32.) artibus, quæ certò sciri non possunt, deponunt de credulitate, quando verò ars, de qua deponere debent, certis regulis est comprehensa, & firmo infallibilique iudicio certa ejus notitia haberi potest, tunc de veritate deponere debent. *Pac. l. 1. de probat. c. 47. num. 19. Farinac. in pract. crim. p. 2. l. 3. t. 8. quest. 68. §. 2. n. 62.* In relatione autem non tenentur dicti sui rationem reddere, diligenter tamen omnia inspicere & cuncta rimari debent. *Grat. Dec. t. 2. c. 29. n. 23. & seqq.* idq; conveniens est etiam menti Philosoph. qui *l. VI. Eth. cap. 12.* τῶν ἐμπείρων, experientia valentium, καὶ πρεσβυτέρων ἢ φρονίμων, peritorum & seniorum, & prudentum pronunciationibus & opinionibus absque demonstratione, non minus quam demonstrationibus attendendum esse docet, *Vid. Celeberrimus Dürrius, Fautor, Præceptor, & Hospes, quondam meus benignissimus Inst. Eth. prolegom. θ. 19.* quod si verò à iudice, vel ad æstimationem constituti sunt, semper debent reddere rationem concludentem, quasi æstimatio pertineat ad iudicium potius quam ad sensum corporis. *Farin.*

Farin. in pr. crim. p. 2. l. 3. t. 7. q. 70. c. 1. ampl. 30. limit. 2. num. 63. nam in omnibus factis perceptibilibus solo iudicio intellectus, v. g. in probando aliquem furiosum, vel non sanæ mentis, quod per medicum etiam singularem & unicum probatur, *Consil. Argentor. t. 1. cons. 61. num. 27. 28.* etiam non interrogatus peritus, perinde ut testis, debet deponere de causa scientiæ. *Marant. spec. aur. de testium product. p. 6. n. 13. p. 453.*

©. XLI.

Postquam iudex eorum relationes cognovit, & rationes expendit, ante sententiæ publicationem adhuc peritiores consulere, & à priorum sententia & consilio ob rationes probabiliore recedere potest; sic integrum est iudici consilium Jurisperiti (ut consideratur supr. in θ . 9.) vel Assessoris suo calculo probare, vel idem rejicere: Probè autem sibi prospiciat, ne perperam iudicando litem faciat suam. *Zaf. ad l. jus civ. 6. & seqq. ff. de J. & J.* Quod si autem ad ejus promulgationē lege vel statuto obligatur, vel pronuncians sententiam & consilium sapientis semel approbat, vel deniq; Jurisperitum auctoritate legislatoria præditum (quales in θ . 8. supr. retulimus) consulit, à lata sententia ampliùs recedere nequit. Sic videmus sententias Scabinatum & consilia collegiorum Juridicorum transire in rem iudicatam, non tanquam sententias Universitatum, sed iudicum easdem pronunciantium. *Spörmech. Justit. vulner. p. 2. t. 5. cap. 7. pag. 669.*

©. XLII.

Quando autem ex relatione alicujus periti, de facto controverso deponentis, tulit sententiam, ea benè transit in rem iudicatam, quoad impediendam

devolutionem appellationis, adeò ut ab illa post lapsum temporis amplius appellari non possit, sed per viam restitutionis in integrum, aut per viam extraordinariam querelæ iudicium est revocandum. *Pac. consil. 136. n. 6. & 7. Marant. de appell. num. 103.* Ideò si intra statuta tempora ei per appellationem non contradicitur, & post aliquod gravamen prætenditur, debet adiri idem iudex, & id coram eo proponi, qui postquam cum pluribus vel peritioribus causam retractavit, rectiusque de veritate edoctus est, sententiam suam revocare potest, quemadmodum quotidie hoc fieri videmus in ocularibus inspectionibus ædium, hortorum, vinearum &c. *Spôrmech. l. c.*

©. XLIII.

Iudex autem non prius admittat contrarium probare volentes quàm habita causæ cognitione. *Myns. sent. 6. obs. 35.* quod si querela veritate nitatur, concedere potest probationem per peritiores, ut ex eorum opinione sententiam revocet, *vid. cit. ap. Grat. t. 3. c. 600. n. 28.* post secundam autem deputationem, ulteriorem non admittat, ne processus producat in infinitum, *Tusch. l. P. concl. 286. n. 35. Grat. t. 3. c. 600. n. 28.* nisi fiat relatio super capitibus diversis, ut si quidam super qualitatibus bonorum feudalium, quidam super qualitatibus allodialium deponerent, & sic ex diversa diversorum bonorum relatione juris diversitas induceretur, ratio infinitatis cessaret. *Grat. l. c.*

©. XLIV.

Examinatis denuò relationibus statur veriora deponentibus, si primi periti deposuerunt super affirmativa cum juramento, & secundi super negativa, hi illis posthabentur, *l. diem pro ferri. 27. §. stari*

stari. 2. ff. de recept. qui arbitr. maximè, quando primi sunt plures numero, & magis clarè deponunt. Bart. in l. comparationes. 20. Cod. de fid. instrum. & si sit aliquis casus, in quo lex vel cōstitutio antiqua invēit certum remedium alicui causæ ex iudicio peritorum determinandæ, tunc gesta vigore primæ legis non irritabuntur per magis peritos, admissos per legem novam supervenientem, ut in specie concludit. Fel. inc. proposuisti 4. ad fin. vers. 3. nisi esset aliquis casus de prob. Sed quid si periti sint electi communi partium consensu, poteruntne electione peritorum reprobare, quos initio probaverant? Puto & hoc casu dari appellationem & revisionem. Nam ea ferè mens est personarum peritos eligentium, ut quia sperant eos peritè arbitratos, eorum arbitrio se subiciant, si secus accidat, & læsio adpareat non prohibentur recurrere ad peritiores. Tusch. l. P. concl. 286. n. 33. ubi in fine addit limit. nisi sit promissum stare qualicumque relationi. Cessat etiam ulterior peritorum admissio, si lex succurreret, de alio remedio adversus peritum, qui dolo, vel imperitia partem læsisset, l. si propter 22. ff. rer. amot. l. si duob. 3. ff. si mens. fals. mod. Grat. t. 3. c. 600. n. 33. Reductio autem peti potest intra triginta annorū spatium, arg. leg. sicut. 3. C. de præsc. 30. vel. 40. annorum. Marant. p. 6. de appell. num. 129. Sand. dec. fris. l. 1. tit. 14. def. 3. à iudice autem reductionis, confirmante vel retractante sententiam ulterior appellatio vix conceditur. Br. in l. 1. ff. de leg. 2. Salicetus in l. pen. Cod. de Arbitr. num. 18. & prolixè in l. & in majoribus. 20. C. de appell.

⊙ XLV.

De his distinctiùs judicare poterimus, si confi-

D 3

dere-



deremus diversas peritorum qualitates. Nonnunquam enim veniunt nomine iudicum; ut in *l. 16. 17. 18. 21. 22.* nonnunquam effectu sunt iudices; ut *l. 7. & seq.* modo Assessores; nonnunquam extrajudicialiter in eos compromittitur, & tunc ex compromisso iudicandum, utrum in arbitros, an in arbitratores sint electi, an juris ordinem servare, vel pro sua peritia absque figura iudicii controversiam dirimere debeant. *Sichard. ad l. hac edictali. 6. §. his illud. n. 14.* illo casu, litigantes hujus sententiæ non tantum æquæ, sed etiam iniquæ stare tenentur, & sibi imputare quod in imperitum compromiserint, *l. litigatores. 11. §. quod ait Prætor. 2. l. diem proferre. 27. §. stare debet. 2 ff. de recep. & qui arbitr.* nisi arbitri dolus interveniat, & notoriam in se contineat iniquitatem, *Sand. dec Fris. l. 1. t. 14. d. 1.* ab arbitratoris autem sententia ad arbitrium boni viri reductio conceditur, *arg. l. si libertus. 27. ff. de oper. lib. l. hac venditio. 7. in pr. ff. de contrah. emt. l. societatem. 76. & ibi: Petrus Costalius ff. pro socio. Menoch. de Arbitr. l. 1. 70. num. 11.*

©. XLVI.

Autdenique eliguntur à iudice ex necessitate exigente lege vel statuto, tunc sunt arbitri juris & datur ab illis provocatio, *l. 1. Cod. de recep. & qui arb.* aut eliguntur ab illo motu proprio, & itidem dicuntur arbitri, quemadmodum illi, qui à partibus eliguntur arbitratores. *Tusch. lit. P. concl. 285. num. 2.* Hi dicuntur mixti iudices & testes quia de utroque participant, *vid. cit. ap. Gratian. disc. for. tom. 3. cap. 600. n. 24.* Ideò pars coram iis citari debet, quia id quod expediunt, propius accedit ad iudicium quàm ad testi-

testimonium. *Bald. cons. 445. quidam nomine. num. 6. vers. ad illud quod quæritur*, & faciunt officium judicis, quando judicant de comparatione literarum quod non licet testi, *Tusch. l. c. num. 9.* neque in eis locustimori subornationis. *Myns. c. 6. obs. 35. num. 7.* & deponentes prætextu peritiæ, possunt testificari per relationem ad aliud, videlicet, dico, ut dixit præcedens, quanquam hoc denegetur testibus, *Grat. t. 2. c. 233. num. 34. Blanc. præct. crim. pag. 132.* & valet eorum depositio per verbum credo, & per verbum iudicio meo, *Tusch. l. c. num. 3.* & omninò à iudice adhibiti, non sunt propriè testes, & hoc modo possunt recipi die feriata ad iuramentum, & in dispositione loquente de testibus, non veniunt periti, *Grat. t. 2. c. 233. num. 36.* & peritis electis ad æstimandum magis credendum est, quamvis alij testes contradicerent, *vid. cit. ap. Grat. t. 3. c. ult. num. 26.* pro ut regulariter illis est credendum, tanquam in arte peritis, *Grat. l. c. n. 27.*

⊙ XLVII.

Vidimus ex his quid conferat peritorum iudicium tum ad Juris constitutionem, tum ad constituti ad factum applicationem, restat ut ἐν κεφαλαίῳ summam & quasi per iudicē delibemus, quam juri mutationem inferat. Hujus exemplum nobis exhibet, *l. divi fratres. 17. ff. de jur. patr.* ubi Imperat. ipse statuit contra rescriptum & responsum suum, postquam cum pluribus Jurisperitis rem examinasset, & plenius de jure & veritate edoctus fuisset. Et cum omne artificium incrementum recipiat, *l. legatis. 65. §. 3. de leg. 3.* habeatque natura (teste Bodino) scientiarum thesauros innumerabiles, qui nullis ætatibus exhau-

exhauriri possunt; si tractu temporis ea perficiat red-
datque facilia, quæ veteres habuere incognita, me-
ritò certam experientiam sequimur, & veterum ra-
tione expressâ cessante, jus novæ applicamus, nec
casus quos rationis paritas necit, in juris dispositio-
ne discrepare permittimus, ut ecce olim si æs & au-
rum confundebatur, quia separari non poterat,
l. idem Pomponius. s. §. idem scribit. ff. de R. V. speci-
ficanti cedebat, §. 25. J. de R. D. at hodiè, quia ope a-
quæ Chrysulcæ (Scheidwasser) separari potest, i-
dem jus est, quod in cæteris. *Rittershus. ad §. cum ex*
aliena. 25. J. de R. D. vers. quod si partem. p. 163. Salmut.
not. ad Panc. p. 2. p. 125. vid. tamen Brun. ad d. l. s. §. 1. ff. de
Rei vind.

⊙. XLVIII.

Peritiæ opponitur imperitia, quæ apud Juris au-
ctores plerumque pro Juris imperitia sumitur, *l. im-*
puberi 40. ff. de administr. tut. & pr. J. de milit. test. qua
si laborant iudices, debent adhibere in consilium pe-
ritiores, alias imperitè judicantes partibus ad inter es-
se tenentur, *pr. J. de obl. quæ quasi ex del. Zas. ad l. hoc e-*
dicto. 2. ff. quod quisq. juris &c. n. 3. 4. & si malè judican-
do litem fecerunt suam non habent regressum ad-
versus malè absolutum vel condemnatum, *Zas. lect.*
ad tit. de re jud. f. m. 176. in materia autem ardua &
subtili Judex illiteratus, vel imperitus & grossus pla-
nè recusari potest, per cit. à *Marant. de appell. n. 67.* ex
eadem culpa imputativa nauta tenetur mercatoribus
propter amissionē mercium, si imperitum Magistrum
navis exercitio præposuit, *l. utique autem. 16. in fin.*
l. qui petitorio. 36. in f. ff. de R. V. l. item queritur. 13. ff.
locati.

Minori

Minori viginti quinque annis Doctori Juris tum demum conceditur restitutio in integrum, si captus sit ignorantia facti, non autem si læsus sit, quæ professionem ejus attinet, imperitia Juris *Vin. sel. quest. l. 1. c. 13. p. m. 66.* & Assessor ex imperitia incidit in edictum quod quisque Juris &c. *Zaf. ad l. hoc edict. 2. ff. h. t. num. 6. & 7.* & medicus mortuo infirmo ob ejus imperitiam arbitrio judicis extra ordinem puniatur, quia imperitia culpæ annumeratur, *Gail. l. 2. obs. III. num. 25. in pr. & fin.* quod si autem circa ægrotos sequuntur regulas, vel canones artis suæ, & tamen illi moriuntur, eventus mortalitatis ipsis non imputatur, secus si imperitè & contra artem ægrotum tractarunt, *l. illicitas. 6. §. sicuti. 7. ff. de off. præsid.* Licet enim imperitia per se culpa non sit, semper tamen culpæ adscribitur in eo, qui peritiam alicujus rei profitetur, per rationem generalem, *l. idem §. 1. ff. ad l. Aquil.* & mensor agri falsum modum culposè renunciens actione prætoriam directam, mensor vineæ, frumenti, ædium utili, parti læsæ tenetur. *Brun. ff. part. 1. fol. 378. & seq.*

L.

Imperitiæ veniam merentur ratione ætatis pupilli, minores, & qui his comparantur furiosi, quippe in quibus non est τὸ τέλειον, i. e. perfectus rationis usus, qui tenera ætate & mentis alienatione suspenditur aut supprimitur. Eandem merentur ratione laborum, imbecillitatis & simplicitatis, milites, foeminae & rustici, qui tamen peritiores consulere debent, & ut *Zafius* ludit ad *l. si conuerit. 18. ff. de Jurisdic. n. 11.* Sicut rustici vadunt ad nemora secturi ligna, &

E

mulie-

mulieres ad nundinas vel ad templa pro indulgentiis, ita debent ire ad doctos viros, ut in casibus erudiantur., si non adsint plures, unum consulant, *Grat. t. 2. c. 233. num. 47. fol. 113.* Horum favore indigni sunt rustici sagaces, in quibus non simplicitas, sed potius duplicitas præsumitur, *Zaf. ad l. si quis. 7. cum seq. ff. de Jurisdic. num. 27.* maximè illi qui non longè distant à civitatibus, ad quas sæpius accedunt, qui non solùm propriis, sed etiam aliorum malitiis abundare deprehenduntur. *Michalor. de posit. c. 66. num. 9. f. 89.* nec mulieres æquiparantur personis idiotis & rusticis, nisi in casibus à jure expressis, *l. fin. de jur. & fact. ignor. id. loc. cit. c. 33. n. 14.*

Tandem Peritum Lectorem obnixè rogo, ut ultimam imperitiæ veniam mihi indulgeat, & errores sicubi commissos pro sua in me Humanitate excuset. Opus ὑπογεγραμμένον majore studio absolvissim, ni temporis angustia, quâ circumscribebar, limatiores conatus intercepisset. Quod si usus procedente tempore rectiora ostenderit, propria cadam vineta, & convenientem prioribus adhibebo correctionem. DEO TER OPT. MAX. pro sua immensa benignitate, mihi infinities exhibita, debitas rependo gratias, ejusq; clementi arbitrio me meosq; conatus devotè committo.

00 46453


ULB Halle 3
002 937 530




~~4~~
56

1017







34.

I. N. D. N. F. C.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

JUDICIO PE- RITORVM,

QUAM

DIVINA FAVENTE GRATIA,
DECRETO ET AUCTORITATE

*MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET
AMPLISSIMI COLLEGII JURIDICI,*

In Celeberrima Argentoratensium Universitate,

Pro

Summis in utroque Jure Honoribus & Privi-
legiis ritè ac legitimè obtinendis,
placido Jurisperitorum judicio
submittit

JOHANNES MARTINVS *Sinck/*
Noribergensis.

d. 1. mens. Octobris H. L. Q. consuetis

Anno Christi M. DC. LXXIII.

ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI.

